

ps dicitur. Marinis, inquit Rondeletius partibus internis et externis et colore similes, sola magnitudine differunt : quaedam enim magnitudine, aliae vermbus terrestribus crassioribus assimilantur. Caro est tenax, *spina* nulla; pro spina dorfi, unus continuus nervus cavus, quo *humor* albus continetur, simplex, absque ullis nervorum costarumve ramulis. Intestina tenuissima. *Ventriculus* vix apparet: nec mirum, cum solo fuctu vivat. Foramen in capite supra, sicut Lampetrae majores, habet. In fluvii et rivulis, in quibus capiuntur, nasci vel inde liquet, quod nullis marinis Lampetris ibi aditus patere possit, cum neque illi in mare confluant, neque mare cum iis ulla parte sit coniunctum. Capiuntur saepius reti cum Variis sive Phoxinis pisciculis. Vescuntur luto et aqua, iisdem Locis degunt, quibus vermes: Autumno in brumam usque in Albi capiuntur, torrentur recentes in craticula, acetato condiuntur, et vasis ligneis exceptae, in varia loca distrahitur. Vernis quadrage-
simo jejuniis gratum delicatulis obso-
nium. Salitae item leviter, fumo indurantur. Carne sunt satis molli et glutinosa, quod quantulumcumque est vitii, conditum et coctum facile beneficio corrigitur, nisi aquae in qua vixerunt vitio, plus solito virosae fuerint.

V A R I U M seu **P H O X I N U M** laevem, Romani *Morellam*, quod nigris punctis et tenuissimis lituris fugilletur,

Insubres Sanguinerol a rubore, dicunt: Rondeletius a Graecis quibusdam ἐρυθρόφελαμον vocari feribit. Germ. *Erlitz*. Diversis toto corpore coloribus depingi hunc pisciculum ex diversis in primis nomenclaturis ostendi potest. Dorsum (inquit Rondeletius) aurei splendoris est, venter argentei, latera purpurascunt, Cauda in pinnam auream et latiusculam deficit. Cuta laevi integitur, punctis notata, nigris nempe. Pinnae laterum multum ad ventrem tradunt: quarum radices, quae corpus pertingunt, rubro sunt colore perfusae, inde sanguinaria dictus. Nigricat quoque in tergoribus per intervalla. Linea, quae latera utrimque secat, arcuata est. Digitus longitudinem seu palmum, nunquam excedunt. Circa lacuum et fluviorum oras aquis stagnantibus capiuntur reticulis. Bellonius *ovis* semper prae-
gnantes esse asserit, ideoque Aristoteles Phoxinum esse autumat. Gesnerus vero sexu distingui dum ait, coire invicem etiam insinuat; quin, quod si (inquit) Phoxini, minimi isti pisciculi sint; nil mirum, si propter parvitatem mediocres etiam ex eis nuper nati videantur. Verum nec ipse Aristoteles simpliciter nuper natos, sed verbis *ως επειν*, id est, prope dixerim, additis, gravidos capi tradit. Verisimile est autem tantillos pisciculos, sicut et mures inter quadrupedes, brevi tempore perfici et generare posse. Carne est molli et satis suavi: sed non nisi evisceratus coquendus est.

CAPVT IX.

De Salmerone, seu Salmerino.

Tridentini, piscem fibi peculiarem, *Salmerinum* vel nomine ab Salmore detorto, quo cum carnis rubidine convenit, vel quasi Salmonem lacustrem, nuncupant. Aldrovandus a Cardinale Madruicio acceptum ita descripsit. Corporis forma pinna-
rum, numero ac situ cum Truttis ac Salmonibus fere convenit: Caeterum squammis caret: et si squamosum esse profiteatur Salvianus: Capite est ro-
tundusculo, retuso rostro. *Oculorum*

pupillam nigram aureus, qui in mor-
tuu postea fuit ruberrimus, circulus ambit: ac quam maxime splendens. Ante eos foramina duo, auditus vel olfactus instrumenta, rotunda, mani-
festa. Oris maxilla inferior nonni-
hil recurva, Unco sursum vergente:
estque tota ea mandibula alba. Lin-
gua ejusdem coloris, item palatum.
Totum os insigniter dentatum. Pi-
scis ipse rotundus potius, quam latus
est. Pinnae sunt numero septem, omnes